

iudicium, nec discursivae discursus, nec amativae amor, sic etiam minime opus est, omnem actus intellectus esse intellectionem. Disparitas siquidem manifestissima est. Potentia enim iudicativa non nominat integram aliquam facultatem sed specialem functionem ipsius; similiter etiam discursiva, vel amativa. Nihil mirum proinde, si nec iudicium, nec discursus expriment *adaequatam* rationem actus intellectualis, prout huiusmodi; quemadmodum etiam nec amor sed appetitio est generalis ratio actuum appetitus. Contra *intelligere*, ut sic, per se primo convenit actui intellectus, prout huiusmodi, ac propterea eum eo reciprocari debet.

Propositio vero antecedens probatur dupliciter. Primo quidem ex conscientiae testimonio. Saepenumero enim iudicamus esse quae omnino esse nolumus, et contra iudicamus non esse quae maxime esse vellemus. Ergo iudicium non est actus a voluntate elicited, uti docent Cartesiani, sed elicited ab intellectu. Secundo id ipsum constat a priori. Iudicium enim fertur ad verum sub ratione veri, non autem sub ratione boni. Atqui proprium est intellectus ferri in suum obiectum sub ratione veri.

II. Vis iudicativa, ex communi hominum sensu, est propria intellectivi qua talis et quatenus habentis praestantiam cognoscendi supra sensitivum. Maxime enim in hac operatione elucet supereminencia intellectualis operationis supra cognitionem sensitivam; unde specialissimo modo veritas propria cognitionis iudicio convenit. Atqui quae sunt propria intellectivi qua talis, prout cognitionem mere sensitivam excedit, ad ordinem cognitionis per se ac formaliter pertinent. Ergo vis iudicativa est vere cognoscitiva. Ergo eius actus seu iudicium cognitio sit oportet. Hinc optime Suarez observat, simplicem apprehensionem non modo esse imperfectam cognitionem, immo etatenus perfectionem cognitionis aliquatenus sibi vindicare, quatenus suo modo iudicium imitatur. * Licet, ait, conceptio per simplices actus dici solet apprehensio simplex, quatenus potentia cognoscens format in se similitudinem rei, et quodammodo illam ad se trahit, et ut distingatur a

proprio iudicio, quod a nobis datur cum rem una cum alia componimus, vel eas dividimus; tamen, quatenus illam apprehensio est aliquis cognitio, est etiam aliquale iudicium, quo implicite indicatur res id esse quod de illa cognoscimus. El hoc modo, in tali apprehensione vel simplici cognitione rei includitur aliquo modo iudicium: quia cum illa apprehensio sit actus potentiae cognoscitivae, necessario debet per illam aliquid cognosci: quod autem cognoscitur ea ratione indicatur; nam quod iudicari non potest, ignoratur. (Metaph. D. 8. sect. 4. n. 6.)

315. *Declaratio et probatio II. partis.* — Quod proprie sit *subiici*, quid *praedicari*, acceptione logica, alibi declaratum dedimus [Pr. Ph. 111]. Subiectum scilicet tenet locum rei *materialiter* consideratae; praedicatum vero formam exprimit intelligibilem, secundum quam res est in mente apprehendentis. Utrumque vero per copulam verbalem trahitur ad supponendum per uno eodemque, si enuntiatio sit affirmans, vel pro distinctis seu diversis, si enuntiatio sit negans. Tribuere proinde per iudicium praedicatum subiecto, vel ab eo removere, perinde est ac intellectualiter dicere seu pronuntiare, rem esse vel non esse in se, sicut est forma intelligibilis in mente expressa ac praedicato significata. Hanc porro mentis dictionem in eo statuimus, quod mens e duobus extremis simpliciter apprehendens unum accipiat per modum subiecti, alterum per modum praedicati, cointelligendo in subiecto inesse vel non inesse formam quae praedicato exhibetur. Sic autem rem habere, duplici potissimum constat ratione.

I. Iudicium formaliter consistit in eo quo formaliter a mente expellitur status dubitationis proprie dictae, Atqui id habetur per hoc quod mens signate intelligit, formam praedicato expressam inesse vel non inesse huic et tali subiecto. Ergo in tali terminorum acceptione eorumdemque intellectione consistit iudicium vere et proprie eiusmodi. Maior huius argumenti constat ex terminis. Status enim dubii praedice denotat suspensionem mentis inter duplicem contradictionis partem, quatenus de neutra iudicium feratur. Minor vero constat communi naturae sensu. Si enim,

quamdiu in tali statu haeremus ancipites, a nobis siscitetur quispiam, utrum intellectu cognoscamus seu intelligamus nec ne praedicatum convenire subiecto, ex. gr. *Utrum astra sint nec ne numero paria*, continuo respondemus: *Nescio vel Ignoro*: contra vero, si iudicium pro altera parte contradictionis feramus, Apposite Suarez. " Si attente res spectetur, intellectus nil vere cognoscit, donec iudicet..... Quando enim intellectus apprehendit compositionem, et suspendit assensum, ideo est, quia *ignorat an revera illa extrema sint in re, sicut per cognitionem apprehenduntur*: ut in dicto exemplo de apprehensione huius compositionis, *astra sunt paria*, quamvis intellectus cognoscat aliquo modo quid sint astra, et quid sit numerus par, ignorat tamen omnino, an illa duo in re coniuncta sint, et ideo licet compositionem apprehendat, non iudicat. E contrario vero fieri non potest, ut intellectus componat praedicatum cum subiecto *actu cognoscendo eorum coniunctionem quam in re habent vel habere existimantur*, quin iudicet ita esse vel non esse: quia si totum hoc cognoscit, nihil est quod iudicium addere possit. (Metaph. D. 8. sect 4. n. 5.)

II. Mens dicitur iudicare cum accipit, ut verum, quod proponitur; unde veritas est in iudicio, ut cognita in cognoscente. Atqui veritas consistit in adaequatione seu conformitate conceptus in mente existentis cum re prout in se est. Ergo iudicium in eo cognitionis actu consistere debet quo haec adaequatio seu conformitas cognoscatur. Atqui rursus id habetur in eo cognitionis actu quo mens signate intelligit formam praedicto expressam inesse vel non inesse subiecto determinato. Ergo in tali actu cognitio iudicativa reponenda est.

Propositio huius argumenti nota est ex communi hominum sensu. In hoc enim enuntiativa oratio ab aliis differt quod verum significet. Enuntiativa autem oratio est propria expressio iudicii mentalis. Ergo veritas in iudicio non utcumque habetur, sed ut significata, seu mente expressa ac propterea cognita. Assumptio vero prima est ipsa definitio veritatis: altera vero assumptio constat ex his quae initio demonstrationis praemisimus. Cum enim subiectum

teneat locum rei ut in se est, praedicatum vero formae intelligibilis a mente apprehensae, perinde est intelligere hanc in illo inveniri vel non inveniri, ac conformitatem ipsam conceptionis intelligere et quodammodo sentire, quam habet cum re extra mentem posita: conceptio enim propterea est conformis rei extra mentem posita, quia concipit esse quod in re est, vel non esse quod in re non est. Et haec est manifesta doctrina Aquinatis. " Per conformitatem, ait, intellectus et rei veritas definitur. Unde conformitatem istam cognoscere est cognoscere veritatem. Hanc autem nullo modo sensus cognoscit: licet enim visus habeat similitudinem visibilis, non tamen cognoscit comparisonem quae est inter rem visam et id quod ipse apprehendit de ea. Intellectus autem conformitatem sui ad rem intelligibilem cognoscere potest. Sed tamen non apprehendit eam, secundum quod cognoscit de aliquo *quod quid est*. Sed quando iudicat rem ita se habere, sicut est forma quam de re apprehendit, tunc primo cognoscit et dicit verum: et hoc facit componendo et dividendo. (Summa th. 1. p. q. 16. a. 2.)

316. *Coroll. I.* — **Proprius modus iudicandi humanae mentis.** — Ex his patet, non esse de essentia iudicii, qua iudicium est, ut per mentalem compositionem plurium conceptuum fiat, etsi omne iudicium exprimat aliquam obiectivam compositionem vel divisionem, identitatem scilicet vel distinctionem. Cognitioni enim, in qua diximus essentiam iudicii consistere, bene inveniri potest in intellectu qui uno simplici intuitu omnia comprehendat, ut maxime cernere licet in mente divina. Quod autem in mente humana id non fiat sine aliqua vera compositione plurium conceptuum, ratio ducitur ex imperfectione propria nostri intellectus. " Intellectus, ait sanctus Thomas, secundum suum nomen importat cognitionem pertinentem ad intima rei. Unde cum sensus et imaginatio circa accidentia occupentur, quae quasi circumstant essentiam rei, intellectus ad essentiam rei pertingit. Unde secundum Philosophum in 3. *De Anima*, text. 26, obiectum intellectus est *quid*. Sed in apprehensione huius essentiae est differentia. Aliquando enim apprehenditur ipsa essentia per

seipsam, non quod ad eam ingrediatur intellectus ex ipsis quae quasi circumvolvuntur ipsi essentiae: et hic est modus apprehendi in substantiis separatis; unde Intelligentiae dicuntur. Aliquando vero ad intima non pervenitur nisi per circumposita, quasi per quaedam ostia: et hic est modus apprehendi in hominibus, qui ex effectibus et proprietatibus procedunt ad cognitionem essentiae rei. (3. *Dist.* 35. q. 2. a. 2. solut. 1.) Confer testimonium sancti Doctoris alibi recitatum [*Pr. Ph.* 15].

317. *Coroll. II.* — **Compositio indicativa quo pacto sit significativa seu intellectualiter expressiva.** Intellegitur etiam ex dictis res valde notanda, et qua fortasse conciliari invicem possunt diversae sententiae, quae de essentia iudicii circumferuntur apud probatos auctores. Forma seu quasi forma mentalis iudicii in mente nostra est, ut diximus, vera quaedam mentalis compositio, quae bina extrema, praedicatum scilicet et subiectum, coadunantur in unum intellectum seu verbum mentale, quo verbo mens sibi metipsi dicit, rem sic in se esse, sicut apprehenditur. Omnis vero compositio, seu unio, formaliter et per se non habet esse, sed secundum quod extrema, quae componuntur vel ununtur, actu evadunt unum. Ergo compositio mentalis, quae est propria iudicii, significativa sit oportet, seu cognoscitiva ac intellectualiter expressiva alicuius rei: id tamen non habet seorsum et per se, sed duntaxat ad modum cuiusdam mentalis *syncretogorematis*, cuius proprium est significare quidem, sed una cum alio. Velle autem istiusmodi signa naturalia, *syncretogorematica* scilicet, ab intellectu amandare, tantundem est, atque ea etiam a sermone pellere: verbum quippe orale est exterior expressio verbi mentalis. Hinc manifeste consequitur, iudicium mentis a praecedentibus apprehensionibus non differre nisi *inadequate*, ea ferme ratione, quae compositum differt a componentibus seorsum acceptis. Confer quae diximus in Logica [25, 112]: item quae observat Angelicus (*Summa th.* 1. p. q. 85. a. 5. ad 3.).

318. *Coroll. III.* — **Quae sit propria causa determinativa mentalis compositionis qua iudicium con-**

stat. — Postremo colligitur, quae sit causa determinativa praedictae compositionis indicativae. Quandoque scilicet tota invenitur in ipso naturali ordine intellectus ad suum intelligibile: quod contingit semper ac ex sola comparatione extremorum, sive inter se immediate, sive aliquo medio assumpto, intelligibilis veritas manifestatur menti. Haec sunt quorum veritas dicitur evidens: actus siquidem quo talia diiudicantur, proxime accedit ad modum proprium *visionis* seu *cognitionis intuitivae*, pro eo quantum ex ipsa intelligibili veritate haec iudicia determinationem habent, adeoque ab ea numquam deerrant. Quandoque vero, extremis mutuo inter se comparatis, non ipsa veritas per se contemplanda offertur, sed aliquid plus minusve veritali proximum, vel etiam species quaedam eminentia veritatis. Tunc autem apprehensiones simplices, quae iudicium praecedunt, hoc plus minusve suadent, sed per se non sufficienter intellectum movent, ut una invicem componantur, compositione scilicet mentali quam descripsimus. Quare, si intellectus sibi relinqueretur, iudicium nullum proferret, sed dubius et anceps remaneret; accedente tamen voluntatis imperio, praedicta compositio atque adeo iudicium ipsum invenit determinativum. De hoc duplici modo proferendi iudicium satis multa in Logica diximus [255.... 290...], nec propterea opus est ea de novo recitare.

Solvuntur difficultates.

319. **Obiectio I.** — Si iudicium actibus vere cognoscitivis adnumeretur, eo ipso perceptionis naturam ac proprietates indueret. Atqui nulla perceptio per se est erroris obnoxia. Ergo idem dicendum esset de iudicio, quod profecto nemo dicit.

Respondeo. *Dist. mai.* Si sermo sit de perceptione simplici, *neg.*; si sermo sit de perceptione in universum, prout a simplici, vel assertiva praescindit, *conc. Contra* dist.

min. Nulla perceptio simplex per se est errori obnoxia, *conc.*; nulla perceptio sive simplex sive assertiva, *neg.*

Ratio in promptu est. Nam ideo simplex apprehensio de se minime obnoxia est errori, quia de se ad nullum subiectum refertur per cognitionem. Falsitas autem importat cognitionis difformitatem ab hoc et tali subiecto. At non idem contingit in cognitione, qua mentaliter componendo praedicatum cum subiecto signate intelligimus, formam praedicato expressam ei inesse vel non inesse: in quo cognoscendi modo rationem formalem enuntiationis mentalis reposuimus. Si enim subiectum aliter se habeat ac cognoscitur, eo ipso cognitio quidem existet, falsa tamen. Ad rem iterum Suarez: " Quando intellectus componit ea quae in re non sunt coniuncta, habet pro obiecto adequato unionem seu coniunctionem unius extremi cum alio. Unde ipsa etiam extrema in actuali obiecto complectitur, unum ut materiam seu subiectum, cum quo aliud comparat, et iudicat habere cum illo coniunctionem, et consequenter in actu exercito iudicat conceptum unius habere conformitatem cum alio. Ergo, quando inter illa extrema non est illa coniunctio seu conformitas, quam intellectus iudicat, discordat iudicium ab obiecto suo. Est ergo in illo propria ac rigorosa falsitas... Atque hinc intelligitur primo differentia inter conceptus simplices, et iudicium compositionis et divisionis. Nam conceptus simplex, prout directe et positive tendit in obiectum pro ipsum apprehensum et cognitum, *solum repraesentat illud, et non dicit vel repraesentat positive ita esse in re vel non esse* (loquor de humanis actibus). Unde, si contingat habere aliquam difformitatem cum re prout est in se, est potius per modum negationis, quam per modum positivae repugnantiae, scilicet quia non repraesentat id quod est, sed aliud: unde etiam fit, ut non proprie discordet ab obiecto quod repraesentat et in quod directe tendit. " (*Metaph.* D. 9. sect. 1. n. 17, 18.)

Obiectio II. — Per iudicium, si dicatur actus cognoscitivus, vel percipitur identitas quae revera interest inter extrema, vel non percipitur. Si hoc secundum dicitur ergo existet cognitio sine obiecto; quod repugnat. Si pri-

mum, iudicium eo ipso erit verum, atque ita nullum dari poterit iudicium falsum in nostra opinione.

Respondeo. *Conc.* 1. *membrum maioris, nego* autem, tale iudicium fore cognitionem sine obiecto. Nam cognitio dupliciter obiectum respicit. Primo repraesentando illud sicuti revera est; quo in casu erit cognitio vera. Secundo positive repraesentando illud aliter ac est, ut paulo ante declaravimus: et tunc cognitio erit falsa praecise propterea quod est positive difformis a suo obiecto. Ad rem sanctus Thomas: " Cum ergo dicitur, quod intellectus est falsus qui intelligit rem aliter ac est, verum est, si ly *aliter* referatur ad rem intellectam. Tunc enim intellectus est falsus, quando intelligit rem esse aliter quam sit. Unde falsus esset intellectus, si sic abstraheret speciem lapidis a materia, ut intelligeret eam non esse in materia, ut Plato posuit. " (*Summa th.* 1. p. q. 85. a. 1. ad 1.) Concedo equidem, in omni iudicio falso, prout est eiusmodi, aliquam ignorantiam intervenire, ac propterea illud, non omni quidem, sed aliquo certe obiecto carere. Atqui tamen ignorantiam seu obiecti carentiam iudicium falsum necessario postulat. Unde praeclare Augustinus. *Quisquis ullam rem aliter quam ea res est intelligit, fallitur; et omnis qui fallitur, illud in quo fallitur, non intelligit. Quisquis igitur ullam rem aliter ac est intelligit, non intelligit.* (83. *Qq.* q. 32.)

Obiectio III. — Cognitio obiectivae identitatis vel discrepantiae est iudicii motivum, ac propterea in signo naturae priori ad actum iudicandi. Ergo iste actus perperam in eiusmodi cognitione collocatur.

Respondeo. *Neg. antec.* Manifeste patet eius falsitas in iudiciis invenientibus. In talibus quippe iudiciis, antecedenter ad voluntatis motionem, quae necessario requiritur ut intellectus ad ea proferenda directe determinetur, nec identitas nec discrepantia extremorum cognoscitur, et propterea intellectus sibi relictus haeret anceps. Falso itaque dicitur eiusmodi cognitio praecedere debere, tanquam motivum quo talia iudicia determinantur. Movetur itaque intellectus ad ea proferenda, dispositive quidem ex obiectiva aliqua ratione suadente assensum, proxime vero et

directe ex imperio voluntatis (1). Quod vero spectat iudicia evidētia, movetur intellectus ab ipsa veritate obiectiva mediante comparativa apprehensione extremorum: siquidem in rebus evidētibz haec comparatio est plane sufficiens, ut intelligibilis veritas perfecte intellectui applicetur. Cognitio autem identitatis vel discrepantiae obiectivae extremorum non est ipsa comparatio eorundem ad invicem, sed quid naturaliter inde profluens: cuius rei gratia haec iudicia merito dicuntur necessaria.

Instabis. Nonnunquam dicimur caecae iudicare, ut videre licet in iudiciis temerariis, vel etiam in iudiciis fidei divinae. Ergo tunc saltem videtur minime intelligi seu cognosci identitas vel discrepantia obiectiva extremorum.

Respondeo. *Dist. antec.* Nonnunquam iudicamus caecae h. e. sine ullo motivo ex parte obiecti, nec apparenti, vel nullo modo cognoscendo per ipsum actum iudicii obiectivam identitatem seu discrepantiam extremorum, *neg.*; sine motivo evidenti vel rationabili, *conc.*

In iudiciis fidei divinae deest evidentia veritatis, etsi adest ea quam in Logica diximus evidentiam *credibilitatis* [th. X]. Hoc sensu proinde haec iudicia dicuntur caeca, seu potius obscura, cum praesertim primario versentur circa mysteria, quorum intrinseca ratio est supra captum naturalem intellectus humani. Iudicia vero temeraria ideo sic dicuntur, quia etsi ad ea profrenda non deest aliqua ratio praelucens et suadens ex parte obiecti, ea tamen fucata est, non probabilis seu digna viro prudenti.

(1) De hoc voluntatis imperio in actus rationis vide testimonium Aquinatis quod alibi exserpsimus et declaravimus [*Pr. Ph.* 299].

SECTIO X.

De naturali ordine quo intellectualis nostra cognitio evolvitur quoad objecta materialia.

320. **Tractationis argumentum, eiusque propria difficultas.** — Quaestiones ad praesentem titulum pertinentes tractat et resolvit S. Thomas (*Summa th.* 1. p. q. 85. a. 8. et q. 86. per totam). Nos unice ventilabimus, quae ceteris longe praestat, tum gravitate materiae, tum difficultate solutionis, nunc videlicet et quo pacto *singularia materialia*, prout sunt eiusmodi, in propria nimirum singularitate, ab intellectu nostro cognoscantur. Nimirum in confesso est apud omnes Doctores Scholasticos, uno excepto Durando, materialia cognosci per speciem intelligibilem, atque adeo immaterialem, a phantasmatibus abstractam. Id itaque in controversiam nunc vocatur, an haec species, ut ut immaterialis, sit de se repraesentativa non solum ipsius quidditatis universaliter acceptae, sed etiam conditionum individualium, quibus in hoc vel in illo individuo, Petro ex. gr. vel Paulo, contrahitur. Praecipua vero difficultas inde repetitur, quod eiusmodi repraesentatio, seu potius repraesentativa virtus, minime repugnat speciei intelligibili, eo quod sit immaterialis, ut expresse fatetur S. Thomas (Qq. Disp. *Ver.* q. 2. a. 5.) (1), et est res manifesta: secus enim cognitio singularium materialium abeganda foret a mente divina et angelica. Si itaque species intelligibilis non pro-

(1) * Intellectus noster non cognoscit singularia, quorum cognitio ex materia dependet, quia non est in eo similitudo materiae, non autem ex hoc quod similitudo sit in eo immaterialiter. . S. THOMAS, *loc. cit.*

hibetur ob suam immaterialitatem a tali vi representativa, videtur dicendum, eiusmodi esse species quae a phantasmatis eliciuntur, cum sic videantur effectus propinquior atque adeo magis proportionatus ipsis phantasmatis, quae, ut ante concessum fuit [291], instrumentaliter quidem, active tamen concurrunt ad productionem speciei. In contrarium vero est, praeter auctoritatem Angelici oppositam doctrinam constanter et ubique inculcantis, ipsis conscientiae testimonium. Si enim avocemus mentem a representatione obiecti, secundum quod in phantasmate relinquitur, et elementa dumtaxat intelligibilia cognitionum nostrarum intellectualium exanimemus, notiones semper exhibentur, nedum universales, sed eo universales, quo minus evoluta est intellectualis nostra cognitio. Accedit praeterea, quod, oppositum si dicatur, videatur intellectus potius cognoscere *rem* extra mentem positam, quam *rei quidditatem*, atque ita cum sensu confundi, ut notavit Aristoteles [265]. Ut itaque, in re adeo perplexa, maiori qua possumus perspicuitate aperiatur quid veritati propinquius videtur, haec dicimus.

THESIS XY.

Intellectus humanus primo non concipit nisi universale; immo dicendum est, magis universalia priora esse in nostra intellectuali cognitione, quam minus universalia.

321. **Probatio I. partis.** — Si enim diversi modi expendantur quibus singulare corporeum, qua tale, per cognitionem intellectualem attingi potest, nullus invenitur in humana mente, quo tale obiectum primo et directe concipi dicatur.

I. Est itaque primus modus ille, quo individua, ut individua, communi sermone describere solemus, attri-

bueno scilicet uni eidemque rei plures proprietates, quae seorsum sumptae inveniuntur in pluribus, simul tamen minime insunt nisi in re una determinata. Hinc noti illi versiculi: *Forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen; Haec ea sunt septem quae non habet unus et alter.* Iam age, hic modus concipiendi singulare nec est primus quo res mente intelligimus, immo nec per se est sufficiens ad intellectualem conceptum habendum de re singulari, prout singularis est. Etenim haec conceptio est valde distincta: constat autem, mentem nostram incipere in cognitione rei a conceptibus valde confusis, et obscuris. Praeterea quavis eiusmodi collectio notarum intelligibilium, etsi uni rei dumtaxat actu existenti conveniat, posita tamen in statu pure intelligibili, eiusmodi est, ut pluribus, immo et indefinitis individuis possibilibus conveniat, quae scilicet in illis omnibus assimilari queunt; qualis est ex. gr. conceptio intellectualis quam habemus de *solo*. Existere enim certo loco, certoque tempore, sub tali forma, figura, nomine, relationibus, non est profecto aliquid quod necessario uni tantum individuo possibili conveniat.

II. Alius modus valde obvius concipiendi rem singularem est per reflexionem intellectus in obiectum iam abstractum et universaliter conceptum, considerando scilicet illud, prout hic et nunc sensibilibus representatur in phantasmate; quem modum reflexionis pronomina *demonstrativa* significant, et paulo post uberius explicabimus. Iam vero, cum ordo cognitionis directus necessario praecedat reflexum, necessario consequitur, neque hunc rei singularis conceptum primum esse in intellectuali apprehensione mentis, ac propterea hanc universalem esse oportere, cum res mente primo concipitur.

III. Tertius denique modus est, si intelligatur ipsa differentia singularitatis, qua humanitas ex. gr. in Petro contrahitur, et ab omnibus aliis numerice distinguitur. Quod dico de *humanitate*, dicatur etiam de quacumque alia ratione intelligibili, sive generica; sive etiam transcendenti, eaque sive substantiali sive accidentali. Atqui iste modus cognoscendi singulare humanae menti adiacari non po-

test non una de causa. Nam concipimus quidem mente *quid sit esse individuum*, universe ac generatim, quatenus una simul componimus transcendentalem conceptum *unitatis* cum negatione *pluralitatis* secundum *idem*: atque ita concipimus *individuum vagum*, quod dicitur. At ignoramus omnino intrinsecum constitutum *individui determinati*, quae talis: quod manifeste liquet ex eo quod desint nomina quae id expriment: quandoquidem quae vocantur propria, *de se* communia sunt ac pluribus saepe applicantur. Praeterea minime negari potest, conceptionem intellectualem istiusmodi, quae scilicet intelligeretur ipsa propria differentia individualis, esse conceptionem rei non solum propriam sed propriissimam, atque adeo distinctissimam. Talis autem et tanta perfectio in prima mentis apprehensione aliena est a naturali imbecillitate humani intellectus, qui ab imperfectioribus ad perfectiora provehitur. Tertio denique sic licet arguere cum S. Thoma. "Sensus est virtus in organo corporali: intellectus vero est virtus immaterialis, quae non est actus alicuius organi corporalis. Unumquodque autem recipitur in aliquo per modum sui. Cognito autem omnis fit per hoc, quod cognitum est aliquo modo in cognoscente, scilicet secundum similitudinem; nam cognoscens in actu est ipsum cognitum in actu. Oportet igitur, quod sensus corporaliter et materialiter recipiat similitudinem rei quae sentitur. Intellectus autem recipit similitudinem eius quod intelligitur, incorporaliter et immaterialiter. Individuatio autem naturae communis, in rebus corporalibus et materialibus, est ex materia corporali sub determinatis dimensionibus contenta: universale autem est per abstractionem ab huiusmodi materia, et materialibus conditionibus individuantibus. Manifestum est igitur, quod similitudo rei recepta in sensu repraesentat rem secundum quod est singularis; recepta autem in intellectu, repraesentat rem secundum rationem universalis naturae: et inde est, quod sensus cognoscit singularia, intellectus vero universalis, et horum sunt scientiae." (2. *De Anima*, lect. 12.) Confer quae ante diximus [113, seqq.], quaeque paulo inferius addemus in solutione ultimae obiectionis.

322. *Probatio II. partis.* — Argumentum ducitur ex eodem principio, quo usi sumus in probatione primae partis, a S. Thoma sic enuntiatio: *Omne... quod procedit de potentia in actum, prius pervenit ad actum incompletum, qui est medius inter potentiam et actum, quam ad actum perfectum.* (*Summa th.* 1. p. q. 85. a. 3.) Unde sic. Intellectus noster est exiens de potentia in actum; immo in principio suae cognitionis invenitur respectu sui actus mere in potentia, et, ut dici solet, per modum tabulae in qua nihil est descriptum. Eius autem actus perfectus est notitia distincta, actus vero imperfectus et medius est notitia confusa. Ergo, naturaliter loquendo, prius indistincte, quam distincte cognoscit. Porro, conceptus universalior se habet ad conceptum minus universalem seu inferiorem, ut conceptus indistinctus ad conceptum distinctum. Prob. hoc dupliciter.

I. *A priori*, ex definitione conceptus confusi. Nam "cognoscere aliquid, ait S. Thomas, in quo plura continentur, sine hoc quod habeatur propria notitia uniuscuiusque eorum quae continentur in illo, est cognoscere aliquid sub confusione quadam." (*loc. cit.*) Atqui, quando quis solum habet conceptum universalisorem, non distinguit ea quae sub ipso continentur: contra vero accidit, si habeatur conceptus minus universalis. Sic, cognoscere animal, ut sic, minime implicat cognitionem rationalis vel irrationalis; cognoscere autem hominem, vel brutum, est cognoscere non solum animal, in quantum animal, sed etiam prout est rationale, vel irrationale.

II. Id ipsum confirmatur *a posteriori*. Id imprimis manifestum fit ex linguarum idiomate. Quo enim imperfectiores sunt, eo magis carere inveniuntur terminis specialibus, et abundare communibus. Quod experiri etiam licet in illis, qui in locutione alicuius idiomatis quod primo addiscunt, balbutire incipiunt. Accedit secundo elegans observatio facta a Philosopho (1. *Physic.* c. 1.) sic eni: *Pueri quoque primum omnes viros appellant patres, et omnes mulieres matres; postea vero discernunt hominem a trumque.* Nos etiam, initio cognitionis nostrae, terminis valde

generalibus utimur, iique eo universaliore inveniuntur, quo cognitionem magis confusam gerimus. Denique id etiam patet ex analogia cum cognitione confusa sensuum. Etsi enim sensu non percipitur nisi singulare, nihilominus prius apprehensione sensili cognoscitur individuum rei magis communis, quam individuum rei minus communis; ex. gr. prius hoc corpus, quam hoc vivum, et hoc vivum quam hoc animal, sive processus cognitionis sensitivae consideretur secundum locum, sive secundum tempus. Confer quae habet Angelicus (*loc. cit.*).

THESIS XVI.

Intellectus humanus corpora quidem percipit, non solum in communi, verum etiam in particulari, conceptu scilicet discretivo unius singularis ab alio. Id autem non praestat, nisi indirecte, et per quamdam reflexionem, quatenus intelligendo rei quidditatem simul advertit, illam contineri sensibili phantasmate, a quo species intelligibilis est abstracta.

323. **Declaratio.** — Quoniam huius rei probatio maxime dependet ex ipso terminorum intellectu, haec igitur diligenter advertit.

I. Certum est, mentem nostram non modo intelligere, sed percipere etiam se intelligere, cognitione scilicet intuitiva, qua propterea percipit suum actum in individuo, prout est hic et nunc. Ad hoc vero, ut paulo inferius dicemus, non opus est alia specie, sed plane sufficit species obiecti directe praecogniti, una cum exercita illa experientia priorum actuum quae cognitionem ipsam comitatur, ut ante declaravimus cum Suarez [311, III]. lam age, cum actus intelligendi sit intrinsece vitalis, et versetur circa obiectum aliquod in phantasmate praesens,

eo ipso quod in sua actualitate a mente percipitur, necessario haec utraque relatio ab ea advertatur necesse est. Atque hoc unusquisque in se experiri potest, modo sermo sit de advertentia illa rudi et vulgari quam circa actus nostros habemus omnes, non autem de analysi scientifica quae fit in scholis.

II. Cum non possit relatio percipi nisi eo ipso terminus percipiatur, quum intellectus reverteretur modo praedicto supra suum actum eiusque relationem advertit quam habet ad obiectum praesens in phantasmate, oportet ut hanc ipsam praesentiam apprehendat. Ut patet, haec relatio intrinseca est actui intelligendi, ac propterea ad eam capiendam non opus est alia specie distincta ab ipso actu intelligendi, qui per se ipse, ut diximus, fit praesens intellectui in semet revertenti. Quid autem sit haec praesentia, definitione non eget. Est enim factum experientiae omnino immediatum: de huiusmodi vero factis ita apprehensis, prout sic apprehenduntur, definitio non datur, cum non possit fieri per notiora.

III. Etsi quidditas, puta magnitudinis, vel hominis, secundum quod huiusmodi, sit universalis, nihilominus, ut haec rehuet in phantasmate, universalitatem retinere non potest, ac propterea evadit singularis: pars enim sensitiva non cognoscit nisi singulare. Dictum est autem, quod intellectus non modo percipit quidditatem obiecti, sed, percipiendo se intelligere, eo ipso advertit ad praesentiam obiecti in phantasmate. Ergo per hoc quod percipit suum intelligere, advertit ad obiecti intellecti singularitatem. Haec autem perceptio rei singularis, ut singularis est, quae sic habetur ab intellectu, non est per speciem intelligibilem, quae repraesentativa sit intrinsecae differentiae numericae seu individualis, qua quidditas humanitatis ex. gr. contrahitur in hoc homine, ac propterea non dicitur, per talem apprehendendi modum, directe intelligi singulare, proprio quasi conceptu, seu quidditativo, sed indirecte, seu per aliud, pro eo quantum scilicet percipitur ipsam intelligere eiusque dependentia a phantasmate ac proinde per quamdam reflexionem.

IV. Totam hanc explicationem hausimus a S. Thoma, qui paucis eam sic complectitur. * Dicendum est, ait, quod anima coniuncta corpori per intellectum cognoscit singulare, non quidem directe, sed per quamdam reflexionem, in quantum scilicet ex hoc quod apprehendit suum intelligibile, (*h. e. quidditatem rei materialis*), revertitur ad considerandum suum actum, (*h. e. ad percipiendum se intelligere*), et speciem intelligibilem quae est principium suae operationis, (*per hoc nempe quod unusquisque intelligit se intelligere, advertit suum intellectum esse intentionaliter assimilatum et unum quasi effectum cum obiecto*), et eius speciei originem, (*h. e. eius dependentiam a phantasmate*), et sic venit in considerationem phantasmatum, et singularium quorum sunt phantasmata. » (Qq. Disp. *De Anima*, a. 20. ad 1.) Eandem doctrinam ex mente Aristotelis tradit (3. *De Anima*, lect. 8.), ubi animadversione dignissimum est, ex quo capite potissimum Philosophus rem praesentem ostenderit, nimirum ob primarium et essentialia discrimen quo perceptio intellectiva a sensitiva secernitur, quippe aliud est, ait, apprehendere dumtaxat id quod est caro, aliud vero apprehendere quid sit esse carnem, quorum prius invenitur in sensu, posterius vero in solo intellectu.

324. *Probatio thesis.* — Ex tradita declaratione haud difficile intelligi potest probatio thesis.

I. Ac primo quidem non negamus, nec negari potest, aliquo tandem modo singulare corporeum distinetè percipi ab intellectu humano. Quis enim intelligit seipsum et discernit ab aliis, sicut etiam patrem suum, fratrem, amicum, etc. De singularibus praeterea frequentissime loquimur: verbum autem oris eatenus est et dicitur verbum, quia significat conceptionem mentis, cum locutio sit propria actio intellectivi qua talis. Item intellectus passim format propositiones de subiecto singulari, ut manifeste liquet in iudicis prudentiae et passim etiam in fide divina, quae virtutes sunt intellectuales. Tandem voluntas plerumque in singularia determinata directe fertur, quae propterea cognata per intellectum esse oportet.

II. Quod vero haec cognitio explicari debeat eo quem

declaravimus modo, sic patet. Non enim alii afferuntur modi ad mente percipiendum singulare corporeum, nisi tres illi quos in praecedenti thesi recensuimus. Cum itaque nec primus nec tertius probari queat, ut ibidem ostendimus, relinquatur secundus dumtaxat, scilicet per reflexionem illam quae declarata est. Id ipsum optime confirmatur ex terminis qui singulare exprimiunt: sicut enim intelligimus, ita loquimur. Et re quidem vera, terminus vere singularis non est nisi qui dicitur *singularis ex demonstratione*, scilicet terminus complexus ex termino aliquo communi, et pronomine demonstrativo, puta cum dicimus, *hic homo*. Iam age, terminus communis, propterea quia communis est, non exprimit conceptum singularem sed universalem, ut in allato exemplo, *homo*, prout eiusmodi, est quid universale perfectio. Pronomen vero demonstrativum *hic*, quo natura communis, seu humanitas, determinatur ad rem singularem, ut pro ea supponat, significat certe reflexionem quam exposuimus. Si quis enim bene rem consideret, videbit illud supponi audienti pro gestu quo sensibilitatis obiectum indicetur, perinde ac si diceret: En obiectum quod ego designo... Aspice quod nomen... De hoc loquor.

Solvuntur difficultates.

325. *Obiectio I.* — Directa perceptio rei singularis et materialis denegatur intellectui humano vel propter ipsius perfectionem, vel propter imperfectionem. Non primum, cum perfectiores sint intellectus Angelorum ac Dei altissimi, qui tamen singularia directe noscunt. Non alterum, quia sensus haec cognoscunt, tametsi sunt intellectu imperfectiores.

Respondeo, *Neg. mai.* Disiunctio non est adaequata. Intellectui siquidem humano non competit talis cognitio, partim ob perfectionem qua cognitionem sensilem excedit, partim vero ob imperfectionem ratione cuius proprius

modus cognoscendi ipsius distinguitur a perfecto modo cognitionis substantiarum separatarum, Dei potissimum. Nam intellectus noster in eo excedit sensum, quod, sensus ac iste, non rem tantum utrumque apprehendit, sed in quidditatem introspicit, ut paulo ante audivimus a Philosopho. Desciscit autem a perfectione intellectus angelici et divini, propterea quod cognitionem suam accipit a rebus materialibus eamque valde imperfectam, praesertim initio. Atqui ex his duobus *simul coniunctis* enascitur impossibilitas de qua loquuti sumus, ut patet ex probationibus adductis.

Obiectio II. — Doctrina Angelici in re praesenti non videtur secum ipsa cohaerere. In ea enim conceditur tandem intellectui perceptio phantasmatis in sua singularitate. Atqui phantasma est res materialis.

Respondeo. *Neg. assumptum.* Ad probationem, *dist. mai.* Quatenus ipsum phantasma in sua singularitate ab intellectu percipiatur per speciem propriam eiusdem atque adeo directe, *neg.*; quatenus haec perceptio habetur per reflexionem explicatam, qua intellectus revertitur in suum ipsum intelligere, *con.*

Patet solutio ex his quae dicta sunt. Cum enim intellectus reflectitur supra suos actus eosque intuitive considerat per modum cuiusdam facti praesentialiter ei innotescens, huius cognitionis formale principium non est nova quaedam species: siquidem esset plane supervacanea ad talem cognitionem, ut in sectione sequenti uberius explicabimus. Sufficit nempe ipsa immaterialitas intellectus, ac praevius actus directus cum sua propria specie quae est eius formale principium. Id vero si fiat, habebitur quidem aliqua cognitio intellectualis singularis corporei atque adeo ipsiusmet phantasmatis in sua singularitate, indirecta tamen et per quandam reflexionem, nec est ulla incohaerentia sententiarum in hac doctrina.

Obiectio III. — Doctrina quam tuemur videtur experientiae adversari. Nam antequam sciat unusquisque reflecti, descendendo a natura generali ad singularia, novit ipsa singularia. Rusticus enim cognoscit Petrum,

resque ceteras individuas, ac circa illas ratiocinatur immediate, cum prorsus ignoret naturas universales; quod etiam doctus quilibet valet in se experiri, si consideret modum quo singularia noverat, antequam philosophiam perdisceret aut etiam dialecticam.

Responso facilis est. Qua enim facilitate asseritur oppositio nostrae doctrinae cum experientia, eadem et ratione quidem longe probabiliore negatur. Duo autem manifeste permiscetur in recitata obiectione. Primo enim confunditur cognitio rudis, vulgaris, et directa, quae ab omnibus quantumvis rusticis habetur de rationibus, nedum universalibus, sed universalissimis, puta entis, unius, relationis, etc., cum cognitione philosophica, distincta et reflexa, quae de his ipsis acquiritur in scholis. Ac certe falsissimum est quod in obiectione manifeste supponitur, rudes nempe vere ratiocinari quin habeant conceptus universales. Quale profecto est eiusmodi ratiocinium quo nec particulare ex generali, nec etiam universale ex singulari colligitur? Nempè ut rudes ratiocinantur quidem, quin ratiocinii regulas ex dialectica accipiant ac reflexe noverint, sic etiam universaliter res et ipsi concipiunt, quin modum quo universalitatem conceptus induunt ex philosophia didicerint. Secundo, non satis in obiectione distinguitur sensilis ab intellectuali cognitione. Nemo enim in dubium revocat, tum rusticos tum philosophos res singulares noscere, et in eas constanter cognitionis aciem figere. Verum num id praestet pars sensitiva, vel intellectiva, et si haec, num per speciem propriam vel tantum per reflexionem illam cuique vel rudissimo apprime obviam quam declaravimus, id certe in obiectione non distinguitur, quod tamen maxime distinguere oporteret, nisi velimus ordines cognitionum adeo diversos simul una permiscere.

Obiectio IV. — Composita in nostra cognitione sunt priora simplicibus, et definitum prius partibus definitibus. Atqui universaliora sunt simpliciora; partes etiam definites sunt plerumque universaliores ipso definito. Ergo dicendum est, universaliora esse posteriora in nostra cognitione quam minus universaliora.

Huic obiectioni, quae praecipua est in re praesenti, ita respondet S. Thomas. * Universale magis commune, comparatur ad minus commune, ut totum et ut pars. Ut totum quidem secundum quod in magis universali non solum continetur in potentia minus universale, sed etiam alia, et sub animali non solum homo, sed etiam equus. Ut pars autem, secundum quod minus commune continet in sui ratione non solum magis commune, sed etiam alia; ut homo non solum animal sed etiam rationale. Sic igitur *animal considerationem in se prius est in nostra cognitione quam homo; sed homo est prius in nostra cognitione, quam quod animal sit pars rationis eius . . .* Pars aliqua dupliciter potest cognosci. Uno modo absolute secundum quod in se est; et sic nihil prohibet prius cognoscere partes quam totum, ut lapides quam domum. Alio modo, secundum quod sunt partes huius totius; et sic necesse est, quod prius cognoscamus totum quam partes: prius enim cognoscimus domum quam confusa cognitione, quam distinguamus singulas partes eius. Sic igitur dicendum est, quod *definitiva absolute considerata sunt prius nota quam definitum*; alioquin non notificaretur definitum per ea: *sed secundum quod sunt partes definitionis sunt posterius nota*; prius enim cognoscimus hominem quam confusa cognitione, quam sciamus distinguere omnia quae sunt de hominis ratione. (Summa th. 1. p. q. 85. a. 3. ad 2. et 3.) Quare ex mente Angelici hoc ordine evolvuntur conceptus nostri intellectuales seu quidditatum. Prius scilicet sunt in mente ad modum totius universalis, atque ita conceptus absolute primordiales sunt maxime transcendentes, puta entis, unius, et similibus. Tum vero cognitione quadam confusa, ac saepenumero nominali dumtaxat, vel per simplicem reflexionem in phantasma paulo ante declaratam, percipitur pars aliqua subiectiva quae sub extensione praedictorum conceptuum continetur, puta planta, vel equus. Denique, analytico vel synthetico mentis processu [Pr. Ph. 102], obtinetur conceptus plus minusve distinctus ac definitivus clementorum intelligibilium praedicti subiecti seu partis subiectivae, et sic mens

cognoscit esse de ratione illius, atque adeo per modum partis ea quae antea absolute et per modum totius conceperat. Per hunc modum proinde conceptus illi primordiales, ob suam simplicitatem irresolubiles, ideoque universalissimi, ingenerant alios conceptus secundarios, magis minusve complexos minusve universales. Audiatur iterum S. Thomas. * In intellectu insunt nobis etiam naturaliter quaedam conceptiones omnibus notae, ut entis, unius, boni, et huiusmodi, a quibus eodem modo procedit intellectus ad cognoscendum quidditatem cuiusque rei, per quem procedit a principiis per se notis ad cognoscendas conclusiones. Et hoc vel per ea quae quis sensu percipit; sicut cum per sensibiles proprietates alicuius rei concipio illius rei quidditatem. Vel per ea quae ab aliis quis audit; ut cum laicus, qui nescit quid sit musica, cum audit aliquam artem esse per quam discit canere, vel psallere, concipit quidditatem musicae, cum ipse praesciat quid sit ars, et quid sit canere. Aut etiam per ea quae ex revelatione habentur, ut est in his quae fidei sunt: cum enim credimus, aliquid esse in nobis divinitus datum, quo affectus noster Deo unitur, concipimus caritatis quidditatem, intelligentes caritatem esse donum Dei quo affectus Deo unitur, praecognoscentes tamen quid sit donum, et quid affectus, et quid unio. De quibus etiam, quid sint, scire non possumus, nisi resolvendo in aliqua prius nota: et sic quousque perveniamus usque ad primas conceptiones humani intellectus, quae sunt omnes naturaliter notae. (Quolib. 8. a. 4.) Adverte autem, hic sermonem esse de origine tantum, non de usu conceptuum quos habemus. Quum enim quis iam primo conceperit obiecta, indifferens deinde est, ut potius uno conceptu utatur quam alio.

Obiectio V. — Ratio saltem, quae a S. Thoma affertur ad directam cognitionem singularis corporae a nostra mente excludendam, rem nullo modo videtur evincere. Nam etsi conceditur principium individualitatis in rebus materialibus sumi debere ex materia quantitate signata, non tamen repugnat, detur species immaterialiter repraesentans materiam eiusmodi; secus enim nec Deus, neque

Angeli singulare corporeum directe perciperent. Ergo bene sociari potest cum immaterialitate speciei intelligibilis repræsentativa virtus quæ ad proprium conceptum ducet corporei singularis.

Respondeo ex mente S. Thomæ hoc modo. Concedo equidem, rationem quamobrem mens nostra directe non percipit singulare corporeum, proxime et adæquate minime duci posse ex immaterialitate speciei intelligibilis; ut evidens est ex cognitione quam habent Deus et Angeli. Quare S. Thomas eam proxime derivat ex origine, quam eiusmodi species habet in mente nostra, quatenus scilicet fit *per abstractionem a conditionibus materialibus*, quibus quidditas intelligibilis adstricta est prout relucet in phantasmate. Nimirum principia individuantia, quæ in sententia Aquinatis [116] existunt ex parte materiae individualis, duplicem modum essendi habent in ordine reali, scilicet *in se seu formaliter, et in causa seu virtualiter*. Hæc porro causa est Deus; materia enim nonnisi per creationem prodire potest in esse. Cum itaque Deus per essentiam suam omnia intelligat, facile intelligitur, quo pacto essentia divina possit esse quasi species repræsentativa rerum materialium, etiam quantum ad conditiones individuales. Cum vero Angeli intelligant per species divinitus infusus, seu potius cum eorum intellectu concreatas, potest etiam reddi ratio, quamobrem hæc quoque sint repræsentativæ rei singularis, ut discurret S. Thomas (*Summa th.* 1. p. q. 57. a. 2.). At enim intellectus noster neutro modo res corporales cognoscit, sed per abstractionem a proprio et formali modo essendi quem materia individualis habet in se ipsa extra mentem. Cum itaque talis materia sit principium individuationis in rebus corporeis, species intelligibilis *sic abstracta* non potest esse repræsentativa ipsius. En verba S. Doctoris. * Formæ rerum per quas intellectus cognoscit, dupliciter se habent ad res: quaedam enim sunt factivæ rerum: quaedam autem a rebus acceptæ. Et illæ quidem quæ sunt factivæ, in tantum ducunt in cognitionem rei, in quantum eius factivæ existunt: unde artifex qui tradit formam vel dispositionem

materiae, per formam artis cognoscit artificiatum, quantum ad illud quod in eo causat. Et quia nulla ars hominis causat materiam, sed accipit eam iam præexistentem (quæ est individuationis principium); ideo artifex per formam, puta aedificator, cognoscit domum in universali, non autem hæc domum, ut est hæc, nisi in quantum eius notitiam accipit per sensum. Deus autem per intellectum suum, non solum producit formam, ex qua sumitur ratio universalis, sed etiam materiam, quæ est individuationis principium: unde per suam artem cognoscit et universalis et singularis. Sicut autem a divina arte effluunt res materiales, ut subsistant in suis naturis, ita ab eadem arte effluunt in substantias separatas intellectuales similitudines rerum intelligibiles quibus res cognoscunt secundum quod producuntur a Deo. Et ideo substantiæ separatae cognoscunt non modo universalis, sed etiam singularis, in quantum species intelligibiles, in eas a divina arte emanantes, sunt similitudines rerum et secundum formam, et secundum materiam. . . Formæ autem intelligibiles a rebus acceptæ per quandam abstractionem a rebus accipiuntur: unde non ducunt in cognitionem rei, quantum ad id a quo fit abstractio, sed quantum ad id quod abstrahitur tantum. Et sic, cum formæ receptæ in intellectu nostro sint abstractæ a materia et ab omnibus conditionibus materialibus, non ducunt in cognitionem singularium, sed universalium tantum. Hæc est igitur ratio, quare substantiæ separatae possunt per intellectum singularia cognoscere, cum tamen intellectus noster cognoscat universalis tantum. . . (Qq. Disp. *De Anima*, a. 20.)

326. *Scholion.* — **De munere cogitativæ in cognitione singularium.** — Præquam præsentem materiam absolvamus, operæ pretium erit, præ oculis habere quæ S. Thomas docet de speciali munere quod, in cognitione rei singularis, convenit facultati *cogitativæ*, quæ non est aliud in homine, quam quæ *æstimativa* et *memorativa* dicitur in brutis animantibus [187]. Ut ceteræ facultates, ordinis licet sensitivi, puta phantasia, nobiliorem in homine, quam in ceteris animantibus, operationem sortiuntur

propterea quia ex altiori principio dimanant et ad excellentiorem finem a natura ordinantur; sic etiam aestimativa ac memorativa, quaeque idcirco *cogitativae* nomine insinuantur, ut similitudinem quandam referant ipsius vis collativae conceptuum quae est propria rationis humanae. De hac itaque facultate haec habet Angelicus, expendens quotuplici modo aliquid dicitur sensibile *per accidens* relate ad sensus proprios seu exteriores, quod tamen per se cognoscitur ab aliqua alia facultate eiusdem sentientis. * Quod ergo sensu proprio non cognoscitur, si sit aliquid universale apprehenditur intellectu; non tamen omne quod intellectu apprehendi potest in re sensibili, potest dici sensibile per accidens, sed statim quod ad occursum rei sensatae apprehenditur intellectu... Si vero apprehendatur in singulari, ut puta quam video *coloratum* percipio *hunc hominem* vel *hoc animal*, huiusmodi quidem apprehensio in homine fit per vim *cogitativam* quae dicitur etiam *ratio particularis*, eo quod est collativa intentionum particularium, sicut ratio universalis est collativa rationum universalium. Nihilominus tamen haec virtus est in parte sensitiva: quia vis sensitiva in sui supremo participat aliquid de vi intellectiva in homine, in quo sensus intellectui coniungitur. In animali vero irrationali fit apprehensio intentionis individualis per *aestimativam* naturalem, secundum quod ovis per auditum vel visum cognoscit filium, vel aliquid huiusmodi. Differenter tamen circa hoc se habet cogitativa et aestimativa. Nam *cogitativa* apprehendit individuum, ut existens sub natura communi; quod contingit ei in quantum uniter intellectivae in eodem subiecto: unde cognoscit hominem, prout est hic homo, et hoc lignum prout est hoc lignum. *Aestimativa* autem non apprehendit aliquid individuum, secundum quod est sub natura communi, sed solum secundum quod est terminus aut principium alicuius actionis vel passionis: sicut ovis cognoscit hunc agnum, non in quantum est hic agnus, sed in quantum est ab ea lactabilis, et hanc herbam in quantum est eius cibus. (2. De Anima, lect. 13.) Huc usque S. Thomas. Ne vero pinguis et periculosi admodum erroris ansam inde arripias, haec diligenter animadvertito.

I. Nullo pacto, neque ex mente Angelici, neque secundum rei veritatem, haec doctrina sic accipi potest, quasi vis cogitativa in homine, prout scilicet ad ordinem sensitivum spectat, usque eo se protendat, ut $\tau\acute{\alpha} \tau\acute{\iota} \eta\upsilon \epsilon\acute{\iota}\nu\alpha\iota$ rei euaspian percipiat. Id quippe est proprium intellectus, qua intellectus est, ut ante notavimus cum Aristotele et Aquinate [265]. Nec refert, quod dicatur ipsa ratio quidditativa rei percipi singulariter: sic enim percipitur ab intellectu Angelico, et percipio rei singulari, si *quidditativa sit*, perfectior adhuc est, quam percipio quidditativa rei duntaxat in communi: est quippe distinctior. Quare S. Thomas in reitatu testimonio oculatissime distinguit, cum id quod a cogitativa percipitur vocavit *intentionem particularem*, non vero *rationem*, quod nomen semper adhibet quando sermo est de perceptione quidditatis ut quidditas est. Intentio siquidem est etiam in facultate sensitiva percipiente *rem*, non vero *quidditatem* eius. Lege quae idem S. Doctor tradit cum Aristotele (3. De Anima, lect. 8.), ubi, ut diximus, capitale hoc discrimen sensum inter et intellectum exponit. Concedo equidem, alicubi in Opusculis quae circumferuntur sub nomine S. Thomae, id etiam legi, pertinere scilicet ad cogitativam percipere quidditatem rei: sic nempe legitur in Op. XXIX, al. XV. *De principio individuationis*. Sed dato etiam eiusmodi opusculum esse genuinum foetum S. Doctoris, ex ipso contextu patet, nomine *quidditatis* intelligi *substantiam*, non vero ipsam substantiae rationem, dicentem scilicet *quid sit aliquid esse substantiam*. Accedit etiam manifestissimum argumentum ductum ex verbis paulo ante recitatis. Sic enim per cogitativam percipitur *hic homo*, ac per aestimativam percipit ovis *hoc lactabile*. Atqui in nullius mentem venire potest per aestimativam naturalem percipi ab ore $\tau\acute{\alpha} \tau\acute{\iota} \eta\upsilon \epsilon\acute{\iota}\nu\alpha\iota$ expressum his verbis, scilicet *hoc lactabile*.

II. Cum *locutio* sit propria actio intellectivi qua talis, *verba* autem exteriora sint signa intellectuum, minime dici potest, humanum sermonem, neque ex toto, neque ex parte, esse propriam et directam expressionem rerum exteriorum, prout sunt in parte cogitativa. Secus enim

locationem tribuere oporteret brutis animalibus: cogitativa enim non differt essentialiter ab aestimativa naturali.

III. Puto igitur, rem hanc explicari debere proportionali quadam ratione, tametsi inversa, ac ante declaravimus [324] cognitionem rei singularis quae habetur ab intellectu, quaeque directe exprimitur terminis *singularibus ex demonstratione*. Termini nimirum eiusmodi, puta *hic homo*, exprimit per modum cuiusdam totius cognitionem quasi complexam ex elemento intellectuali per vocem *homo* expresso, et elemento in phantasmate sensibili designato per pronomen demonstrativum *hic*; quae complexio fit ope reflexionis quam declaravimus. Similiter cum dicitur per cogitativam apprehendi *hic homo*, tali ratione loquendi exprimitur etiam cognitio quasi complexa ex elemento intelligibili quidditativae rationis *humanitatis*, et elemento sensili quo cogitativa virtus huius quidditatis *singularizationem advertit*, eo modo quo aestimativa dicitur sentire seu advertere lupum *quasi inimicum naturae*. Utriusque vero elementi complexio fit in homine ob identitatem subiecti utriusque facultatis. Quare S. Thomas. *Homo cognoscit singularia per imaginationem et sensum; et ideo potest applicare universalem cognitionem, quae est in intellectu, ad particulare: *non enim, proprie loquendo, sensus aut intellectus cognoscunt, sed homo per utrumque*, ut patet in 1. De Anima, text. 61. . (Qq. Disp. *Ver.* q. 2. a. 6. ad 3.) Differt autem perceptio ista rei singularis quae per cogitativam habetur, a perceptione eiusdem rei singularis, ut relict duntaxat in phantasmate, dupliciter. Quae enim est in phantasmate, se extendit tantum ad accidentia propria vel communia; quae vero fit per cogitativam, se extendit etiam aliquo modo ad substantiam quae latet sub accidentibus, ut dictum est. Secundo, quae fit per imaginationem, est praevia ad operationem intellectualem; quae vero est per cogitativam, saepe numero consequitur operationem mentis, secundum quod pars superior in homine movet inferiorem, ut in disputatione sequenti explicabimus. Lege S. Thomam (Qq. Disp. *Ver.* q. 10. a. 5.), ubi posteriorem hanc rationem mire declaratam invenies.

SECTIO XI.

De cognitione immaterialium.

327. De iis quae immaterialia dicuntur praecise. Ut in Logica declaratum dedimus [402], dupliciter ratio aliqua immaterialis dicitur, *praecise* et *negative*. Priori modo sic vocantur rationes illae intelligibiles, quae etsi veritatem habent in rebus quoque materialibus, eas tamen sic transcendunt, ut veritatem quoque habeant in rebus plane immaterialibus. Eiusmodi sunt potissimum rationes quas in Philosophia Prima enumeravimus. Dicuntur autem *negative* immateriales, quum eas res duntaxat respiciunt quae nec materia constant nec a materia dependent, spirituales scilicet, cuiusmodi est anima rationalis, et Deus O. M. Iam age, quod spectat notiones prioris generis, quas mens nostra concipit, res facilis est ex dictis, neque aliquid superest addendum. Ut enim ex praecedenti sectione patet, hae notiones vel sunt omnino transcendentes, puta ratio entis, unius, veri, iisque consimiles, vel plus minusve contractae ad certum rerum ordinem, ex. gr. notio causae, habitus, etc. Priores sola abstractione mentis obtinentur, ad easque pertinent maxime primordiales illi conceptus plane irresolubiles, unde principia complexa communia seu axiomata efflorescunt, quae sunt quasi radix et fons omnis certitudinis et evidentiae quae in subsequentibus cognitionibus continetur [*Pr. Ph.* 394, seqq.]. Quoad rationes autem alterius generis, semper in his efformandis elucet aliqua synthesis, quatenus scilicet vel plures notiones transcendentes una componuntur, vel saltem quatenus mens notionem entis universalissimi determinat determinatum rerum generi applicando distinctiorem conceptum efformat de modo proprio quem ea universalissima ratio sortitur in tali genere. Hoc posteriori modo videntur formari suprema genera quae categoriae appellantur. Quod si spectetur me-

thodus seu via quam mens tenet ut conceptus quidditatum plus minusve complexos efformet, haec methodus seu via non est alia, quam quae in Logica declarata fuit ad obtinendam bonam rei definitionem [102]; siquidem conceptio quidditatis est ipsa rei definitio mente concepta. Contingit autem falsitas in talibus conceptionibus dupliciter. Uno modo secundum quod intellectus definitionem unius attribuit alteri, ut si propria ratio unius generis, puta relationis, attribuitur alteri generi, ex. gr. qualitatis. Alio modo, si partes definitionis componuntur invicem, quae sociari simul non possunt, ut si quis cum Lockio conceptum substantiae cum conceptu qualitatis permiscens, substantiam conciperet ut meram qualitatum aggregationem. *El propter hoc*, concludit S. Thomas, *in cognoscendo quidditates simplices non potest esse intellectus falsus, sed vel est verus, vel totaliter nihil intelligit.* (Summa th. 1. p. q. 17. a. 3.)

Venio nunc ad conceptionem rerum immaterialium, quae negative sic dicuntur.

THESIS XVII.

Anima humana actu intelligit se esse in suis operationibus, non quidem unum ex alio inferendo, sed perceptione immediata et intuitiva. Constituitur autem in habitu huius notitiae per suam ipsam essentiam quae est menti praesens, non per speciem aliquam seu dispositionem superadditam. Quid vero ipsa sit, nequit intelligere, nisi per species a phantasmatibus abstractas ac discurrendo, cognitione nempe analogâ ac mediata.

328. **Probatio I. partis.** — Existere in omnibus ratione utentibus cognitionem propriae animae, de qua primo loco in thesi est sermo, ex eo patet, quod unusquisque percipit se vivere et intelligere. Idque tanta evidentia cuique

patet, ut ipsa dubitatione affirmetur. Quare S. Thomas. *Nullus potest cogitare, se non esse, cum assensu: in hoc enim quod cogitat, percipit se esse.* (Qq. Disp. Ver. q. 10. a. 12. ad 7.) Quod vero haec cognitio sit qualem in thesi descripsimus, sic ostenditur.

I. Ac primo itaque ut experientia quotidiana constat, minime percipimus nos animam habere nisi reflectendo in nostram operationem: ab omnibus enim anima concipitur ut *principium operationum vitalium*. Ratio autem a priori ducitur ex obiecto proprio nostri intellectus, quod est quidditas a phantasmatibus abstrahenda. Ergo prius mens nostra actuari debet in directa abstractione et perceptione talis obiecti, quo deinde possit in se ipsa redire ac se cognoscere.

II. Quod vero id minime fiat, quatenus prius per modum principii seu praemissae asseratur existentia operationum, ex quo deinceps propria existentia per modum conclusionis inferatur, ratio est, quia talis inferendi modus idoneus minime est ad hanc notitiam praebendam. Vel enim in antecedenti asseritur tantum existentia alicuius operationis seu cogitationis in universum, vel asseritur existentia operationis seu cogitationis propriae, ut propria est. Si primum, inferitur quidem existentia alicuius principii, unde sit talis operatio, minime vero existentia propriae animae, siquidem hoc non continetur in propositione assumpta. Sin alterum vero dicatur, manifesta incurritur petitio principii: in propositione enim assumpta explicitè affirmatur quod in conclusione duci deberet, quandoquidem qui asserit se cogitare, perinde est ac si dicat, in se esse aliquid unde et in quo sit cogitatio, qui est ipsissimus animae conceptus.

III. Dicendum est itaque, hanc cognitionem esse immediatam. Cognitio autem immediata quatenus est de re praesentialiter existente, vocatur intuitiva [304, 308]. Cum itaque talis sit ea qua in nostris operationibus intelligimus nos animam habere, merito dicitur et est intuitiva. Ex quo redditur etiam ratio tantae illius evidentiae et certitudinis quae hic habetur. Quare Angelicus. "Se-

cundum hoc scientia de anima est certissima, quod unusquisque *in seipso experitur*, se animam habere et actus animae sibi inesse: sed cognoscere quid sit anima, difficillimum est; unde Philosophus ibidem 1. De Anima, princ. subiungit, quod omnino difficillimum est accipere aliquam fidem de ipsa. (Qq. Disp. Ver. q. 10. a. 8. ad 8.)

329. **Declaratio ac probatio II. partis.** — In hac altera parte praecipue declarare intendimus, qua de causa praecedens cognitio dici debeat, ex mente B. Thomae, *habitualiter animae inesse per ipsam eiusdem animae essentiam*; siquidem plures egregie in hac re falluntur. Haec itaque diligenter observa.

I. Intellectus respectu alienius cognitionis in triplici statu potest existere, videlicet *mere in potentia, in habitu, et in actu*. Prior status elucet in intellectu respectu eorum, quae potest quidem cognoscere, sed omni caret proxima dispositione exeundi in actuaalem eorumdem perceptionem. Erit autem in actu, quum versatur in ipso exercitio suae operationis, considerando scilicet ea quae noscit. Inter utrumque statum interiacet secundus, pro eo quantum est quidem actus respectu prioris, et in quadam potentia adhuc respectu posterioris. Est nempe status *notitiae habitualis*, qui praeter virtutem ipsam intelligendi denotat in intellectu dispositionem aliquam proximam eum inclinantem ad actuaalem operationem. Iam age, in cognitione duo spectari queunt, mera scilicet obiecti *apprehensio*, et *iudicium* de veritate apprehensorum: et quantum ad utrumque intellectus dicitur esse in habitu. Primum patet in eo, qui species intelligibiles habet quidem iam abstractas, sed eis actu non utitur, ut in dormientibus. Alterum vero videre licet in intellectu innato principiorum, ut suo loco declaravimus [286, obiect. II]. Habitualis porro notitia sui ipsius de qua hic loquimur, maxime spectatur quantum ad simplicem, concretam licet, apprehensionem, unde tamen naturalis quadam consecutione sequitur ipsum iudicium, ob evidenciam scilicet qua unicuique innotescit, se esse et operari. Dicimus itaque, eiusmodi habituaalem notitiam respectu sui non convenire animae ob speciem aliquam seu

dispositionem superadditam, sed ad hoc sufficere ipsam eius essentiam, quae per modum principii est actu praesens operationibus ex ea procedentibus ipsique immanentibus: quod his verbis S. Thomas declaravit. * Quantum ad cognitionem habituaalem, sic dico quod anima per essentiam suam se videt, id est ex hoc ipso quod essentia sua est sibi praesens, est potens exire in actum cognitionis suiipsius: sicut aliquis ex hoc quod habet alienius scientiae habitum, ex ipsa praesentia habitus est potens percipere illa quae subsunt illi habitui. Ad hoc autem quod percipiat anima se esse, et quid in seipsa agatur attendat, non requiritur aliquis habitus: sed ad hoc sufficit sola essentia animae quae menti est praesens: ex ea enim actus progrediuntur, in quibus actualiter ipsa percipitur. (loc. cit.) Et in responsione ad ea quae ipsi sibi obiecerat, inter alia notatu dignissima, haec habet. * Notitia qua anima se ipsam novit, non est in genere accidentis, quantum ad id quo habitualiter cognoscitur, sed solum quantum ad actum cognitionis qui est accidens quoddam... Est intelligendum, quod mens se ipsam per seipsam cognoscit, quod ex ipsa mente est ei unde possit in actum prodire, quo se actualiter cognoscat percipiendo se esse; sicut et ex specie habitualiter in mente recepta est in mente ut possit actualiter rem illam considerare. (loc. cit. ad 14., et ad 1 sed contra.)

II. Re sic declarata, haud difficulter eius probatio intelligitur. Ut enim cognoscitiva facultas dicatur esse in proxima dispositione exeundi in suam operationem, duo requiruntur et sufficiunt. Primo quidem ex parte obiecti requiritur, ut hoc vel per se ipsum, vel per speciem sui vicariam sit actu cognoscibile. Secundo autem ex parte ipsiusmet facultatis requiritur, ut haec sit expedita ad operationem, illam in promptu habens cum liberit. Atqui respectu concretae illius perceptionis de qua loquimur, utrumque anima habet per suam essentiam. Ergo anima recte dicitur per suam ipsam essentiam constituta in habitu huius perceptionis seu notitiae.

Probatur minor quoad 1^{am} partem. Obiectum enim

non est per se ipsum cognoscibile sed solum media specie superaddita, vel propter materialitatem, vel propterea quia seipso minime coniungitur cum facultate per modum obiecti proportionati. Atqui neutrum habet locum in anima rationali ratione suae essentiali. Haec enim imprimis habet esse immateriale, quod etsi communicatur corpori, materiae tamen capacitatem excedit. Praeterea, respectu cognitionis de qua loquimur, anima non obicitur intellectui nisi secundum quod est principium operationum in quibus ipsa percipitur. Atqui anima rationalis per suam essentiam est principium talium operationum. Ergo per suam essentiam est praesens menti per modum obiecti ei omnino proportionati respectu cognitionis praedictae.

Probatur minor quoad 2^{am} partem. Anima quippe humana, tametsi sit forma corporis, ipsa tamen est immaterialis forma subsistens in suo esse, et hoc per suam essentiam. Atqui proprium est talium formarum, ut perfecte replicari possint in seipsis, atque adeo subsistentiam propriam agnoscant: cuius rei gratia supremae vitae gradum obtinere dicuntur [57]. Ergo supervacanea est superaddita dispositio, ut mens sic in seipsam redire valeat. Ad rem S. Thomas. "Redire ad essentiam suam nihil aliud est, quam rem subsistere in seipsa. Forma enim, in quantum perficit materiam dando ei esse, quodammodo supra ipsam effunditur; in quantum vero in se ipsa habet esse, in se ipsam redit. Virtutes igitur cognoscitivae quae non sunt subsistentes, sed actus aliquorum organorum, non cognoscunt se ipsas, ut patet in singulis sensibus: sed virtutes cognoscitivae per se subsistentes cognoscunt se ipsas. Et propter hoc dicitur in lib. de Causis, quod *sciens essentiam suam redit ad essentiam suam.*" (*Summa th.* 1. p. q. 14. a. 2. ad 1.)

330. **Probatio III. partis.** — Tractanda modo est altera cognitio quae de anima habetur, intelligendo scilicet non solum *utrum sit*, sed *quid ipsa sit*. Discrimen huius cognitionis a praecedenti sic declaratur a S. Thoma. "De anima, ait, duplex cognitio haberi potest ab unoquoque, ut Augustinus dicit in 9. de Trinitate, c. 4. Una

quidem qua uniuscuiusque anima se tantum cognoscit quantum ad id quod est ei proprium, et alia qua cognoscitur anima quantum ad id quod omnibus animabus est commune. Illa enim cognitio quae communiter de omni anima habetur, est qua cognoscitur animae natura: cognitio vero quam quis habet de anima quantum ad id quod est sibi proprium, est cognitio de anima secundum quod habet esse in tali individuo: unde per hanc cognitionem cognoscitur, an est anima, sicut cum aliquis percipit se habere animam; per aliam vero cognitionem scitur quid est anima et quae sunt per se accidentia eius." (Qq. Disp. Ver. q. 10. a. 8.) Hic agentes itaque de hoc altero modo cognitionis duo asserimus in thesi, quae sic probantur.

I. Si enim agatur de ipsis apprehensionibus simplicibus seu conceptibus quibus essentia animae in mente adumbratur, per species dumtaxat a sensibilibus derivatas hi conceptus formari possunt: siquidem in his habetur proprium intellectus humani obiectum. Patet autem, eiusmodi conceptus analogica tantum proportionem animae spiritali convenire posse. Nec refert, quod anima immediate, immo intuitive etiam percipiat se esse, ut ante probatum est. Nam percipit utique se esse, sed *ut principium suarum operationum*, cognitionis scilicet et appetitionis. Quae autem sit propria ratio huius principii derivatur ex propria ratione ipsarum operationum, et haec ulterius ex propria ratione obiecti earundem, quod obiectum diximus esse quidditatem rei sensibilis. Et re quidem vera, si examinentur conceptus omnes quos de anima nostra formamus, haec et non alia ratione efformatos esse patet.

II. Si vero agatur de iudicio quo praedictas conceptiones componentes earundem veritatem de animae natura speculamur, constat, opus esse discursu eoque valde subtili. Nam, ut paulo ante dictum est, per immediatum conscientiae testimonium apprehendimus animam ut principium suarum operationum. Ut autem inde cognoscatur propria eius natura, necesse est cognoscatur propria natura harum operationum, earundem distinctio ac mutua habitudo, item ipsarum distinctio a suis obiectis et depen-